

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 575

**Auteur(s)** : Jean Ier, Eu (comte)

**Bénéficiaire(s)** : Le Tréport, Saint-Michel (abbaye)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1151

**Action juridique** : confirmation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Donation à l'abbaye du Tréport du prieuré de Hastings par Jean Ier, comte d'Eu (Vidimus de 1470)

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Laffleur de Kermaingant Pierre, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Michel du Tréport (ordre de Saint-Benoît)*, Paris, Didot, 1880, n° XVIII, p. 44-45.

## Dissertation critique

Laffleur de Kermaingant remarque que la date de 1152 est donnée par les cartulaires.

Texte établi d'après a

In nomine Domini amen. Hoc est verum transcriptum sive transumptum quarumdam litterarum illustris quondam principis et domini domini Johannis, comitis Augi, in cauda dupplici sigillatarum, michi notario publico ad transcribendum traditarum, quarum tenor de verbo ad verbum sequitur et talis est :

Johannes, comes Augi, universis ecclesie catholice fidelibus in perpetuum. Sacre institutionis formula digestum est ut elemosinarum bona, que serenitas principum ecclesiis Dei legitima donacione concessisse dinoscitur, ipsorum auctoritate principum debeant communiri, ne umquam valeant imposterum pravorum hominum machinacione convelli, vel quod consulte decretum est possit in irritum devocari. Hujus rationis consideracione ductus, ego Johannes, comes Augi, ecclesiam Sancte Marie de Hastings, quam in perpetuam elemosinam donavi ecclesie Beati Michaelis Ultrisportus, eidem rata in evum possessione habendam percenseo et presentis robore sigilli confirmo. Monachos autem Ultrisportus tenere prefatam ecclesiam de Hastings sub hoc tenore volo et statuo, cum omnibus appendenciis que ad supradictam pertinent ecclesiam, ut canonicis ibidem vel vita decedentibus vel seculo renunciantibus monachi Deo ibi servituri subrogentur, qui prebendarum beneficia integre sorciantur. Hujus donacionis testes affuerunt: Gohelinus de Criolio, Guillermus de Crenis, Radulphus de Scotenaud, Stephanus de Petris, Matheus cubicularius abbatis, Henricus de Culvervilla, Guillermus de Fresi, Petrus Prepositus, Nicholaus de Verleio, Gualo Aquarius. Actum est hoc anno ab Incarnacione Domini M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>. L<sup>o</sup>. I<sup>o</sup>.

De quibus litteris originalibus preinsertis facta fuit collacio, cum presenti transcripto seu transumpto, per me notarium publicum subscriptum, anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo, indicione quarta, mensis vero octobris die sexta, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Pauli, divina providencia pape secundi, anno septimo. Acta fuerunt hec in venerabili curia archiepiscopali Rothomagensi, sub anno, indicione, mense, die et pontificatu predictis, presentibus et audientibus Guillermo Lorger et Guillermo Duval, ejusdem curie notariis, testibus cum aliis ad premissa vocatis et rogatis.

Et ego Jacobus de Valle, clericus Rothomagensis publicus apostolica et imperiali auctoritatibus curieque archiepiscopalis Rothomagensis notarius juratus, quia litteras originales preinsertas vidi, tenui ac de ipsis ad presens transumptum collationem feci, ipsaque ad invicem concordare inveni, nil addito vel remoto quod facti substanciam immuttet, aut intellectum variet, presentibus et audientibus testibus prenominatis, idcirco huic transumpto desuper confecto, aliena manu scripto, signum meum publicum solitum et consuetum apposui requisitus.